

habere, & sic spatium circumscriptum hanc posse concipi-  
 pitur.

§. 2. Hanc perfectionem Deo attribuimus  
 ea de causa, quod *extensio* nobis videatur *immensa*.  
 absurdum enim esset, Deum, qui omnibus possi-  
 bilibus gaudet perfectionibus, quique extensio-  
 nem in se pigram & immotam agit, ab exten-  
 sione superari, ita quidem ut partes extensionis  
 divinae essentiae limites darent, quod tamen se-  
 queretur, nisi Deus esset *immensus*, i. e. per omnia  
*actualiter, infinite*, attamen *spiritualiter* extensus,  
 & mundum finite extensum terminans.

§. 3. *Modum* divinae immensitatis argute de-  
 scribit Gregorius Lib. II. Moral. cap. 12. *Deus*, in-  
 quit, *manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse su-  
 per omnia, ipse infra omnia. Est superior per poten-  
 tiam & inferior per sustentationem. Exterior per  
 magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum  
 regens, deorsum continens, extra circumdans, in-  
 terius penetrans. Nec alia parte exterior, nec alia  
 parte interior, sed unus idemque solus ubique prae-  
 sidentia sustinens, sustinendo praesidens, circumdando  
 penetrans, penetrando circumdans.*

§. 4. *Infinitas* Dei est, secundum quam ejus  
 attributa s. perfectiones *numero & gradu* nullos  
 habent limites. Hinc Deo, quae attribuitur infi-  
 nitas, dicitur *infinitas perfectionis*. *Numero* infi-  
 nitae sunt Dei perfectiones, dum omnes possibi-  
 les perfectiones possidet, quae numero exhauri-  
 ri nequeunt. *Gradu & extensione* infinitae sunt  
 perfectiones, dum tantus perfectionis gradus